

- / Clarissime Domine. Ex literis tuis cognovi periculum, quod tibi ab improbis hominibus imminere videtur, et quamvis sperem consilia impiorum non praevalitura, teque à Deo protegendum: tamen tu recte facies, si ~~ma~~cautè ambulaveris, et non omnibus te commiseris.
- 5 Consideravi consilium illud tuum de detegenda per publicum scriptum proditiōe, et auctore proditiōis, et cum Sanctissimo D.N. communicavi, sed neque illi, neque mihi placet. Id enim esset irritare magis hominem tibi infensum: neque periculum est, ut si (quod Deus avertat) occidaris, propter haeresim dicaris occisus, siquidem
- 10 in Italia, ubi nunc versaris, non occiduntur haeretici per insidias, sed per iudicium et processum. Deinde ex libris tuis satis constat, quos habeas inimicos. Haec habui, quae breviter responderem ad prolixas literas tuas, neque aliquid addo, quoniam premor angustiis temporis ob alia negotia, quae in hac urbe semper abundant.
- 15 Vale, et me, ut facis, ama. Romae, die 8 Februarii 1613.

Tuus amicus ex animo

R. Cardinalis Bellarminus.

e